HIERONYMUS

Zwettl (Frankreich/Burgund), um 1200 Seite 81r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31650
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift



ligit prudentia tua. usq; ad hunc termi-
num peruenisse ~~cogitationes~~ temptationes tuas. et dedisse
te corium pro corio. pellem pro pelle. omnia quoq;
habes parum esse dare pro anima tua. nec dum
autem extentam in te manum dei. nec tactas car-
nes. nec ossa confracta. ad quorum dolorem
difficile est non ingemiscere. et in faciem
dei benedicere pro eo quod est maledicere. Unde
et nabutha in libris regum benedixisse deum
dicitur et regem. et idcirco lapidatur apostolo. Sci-
ens autem dominus athletam suum. immo uirum
fortissimum etiam in isto extremo perfectoq;
certamine posse superare. ecce inquit
trado illum tibi. tamen illius animam custodi.
Caro uiri sancti datur in diabuli potestatem. et
anime sanitas reseruatur. ne si illud percus-
sisset in quo sensus est mentisq; iudicium.
non esset culpa peccantis. sed eius qui statum
mentis euerterat. Laudent te ergo alii.
tuasq; contra diabolum uictorias panegyri-
cis prosequantur. quod leto uultu mortem tu-
leris filiarum. et quod quadragesimo die
dormitionis earum lugubrem uestem
mutaueris. et dedicatio ossium matris candi-
da tibi indumenta reddiderit. ut non senti-
res dolorem orbitatis tue. quem ciuitas
uniuersa sentiret. sed ad triumphum
matris exultares. quod sanctissimam coniugem
tuam. non quasi mortuam. sed quasi profi-
ciscentem deduxeris. Ego te nequaquam
adulatione decipiam. nec lubrica
laude supplantem. loquarq; illud po-
tius quod tibi audire condecet. Fili acce-
dens ad seruitutem dei. prepara animam
tuam ad temptationem. et cum omnia
feceris. dicito. seruus inutilis sum.

feci quod facere debui. Tulisti liberos quos
ipse dederas. et recepisti ancillam quam mihi ad
breue solatium commodaueras. non contristor
quod recepisti. sed ago gratias quod dedisti. Quondam
diues adolescens. omnia que in lege precepta
sunt se impleuisse iactabat. Ad quem dominus
in euangelio. unum inquit deest. Si uis perfec-
tus esse uade uende omnia que habes. et da pau-
peribus. et ueni sequere me. Qui omnia se fecisse
dicebat. in primo certamine diuitias uincere
non potest. Unde et difficulter diuites intrant
in regna celorum. que expeditos et alarum leui-
tate subnixos habitatores desiderant.
Uade inquit et uende. non partem substantie
sed uniuersa que possides. et da non amicis.
non consanguineis. non propinquis. non uxori. non
liberis. plus aliquid addam. nichil tibi ob
metum inopie reseruaueris. ne cum anania
dampneris et saphira. sed da cuncta paupe-
ribus. et fac tibi amicos de iniquo mamona. qui
te recipiant in eterna tabernacula. ut me
sequaris. ut dominum mundi possessionem ha-
beas. ut possis canere cum propheta. pars
mea dominus. ut uerus leuita. nichil de terre
hereditate possideas. Et hoc hortor: si uis
esse perfectus. si apostolice dignitatis. si sublata
cruce xpm sequi. et si apprehenso aratro non
respicere post tergum. si in sublimi tecto
positus pristina uestimenta contempnis. et
ut euadas egiptiam dominam seculi pallium
derelinquis. Unde et helias ad celorum reg-
na festinans. non potest ire cum pallio. sed mun-
di in mundo uestimenta dimittit. Sed hoc
ais. apostolice dignitatis est. et eius qui uelit esse
perfectus. Cur qui in seculo primus es. non et
in xpi familia primus sis. An quia uxo-